



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**

§. 37. Continuatio Historiæ de divortio Henrici Angliæ Regis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

Sæcul. XVI tinqueret. Hac ratione Italiæ bello Cæ-  
A.C. 1528. sare m inter & Galliarum Regem finis  
 imponebatur, quorum uterque labori-  
 bus fracti pace anno sequenti Camera-  
 ci inita sese reconciliabant.

## §. XXXVII.

*Continuatio Historiæ de divortio Hen-  
 ricæ Angliæ Regis.*

*Vide supra*  
*L. CXXXI.*  
*§. 59.*

*Burnet hist.*  
*de la Refor.*  
*d' Anglet. t.*  
*I. p. 78.*

**H**enicus Angliæ Rex vehementer  
 querebatur de conditionibus, qui-  
 bus summus Pontifex suum diploma de  
 Regis divortio restringebat, quapropter  
 Georgio Casalio, qui Romæ apud Pa-  
 pam legatione fungebatur, negotium da-  
 bat, ut Bullam peteret, quæ minus am-  
 biguis verbis concepta esset. Hac su-  
 per re Casalius frequens cum Papa col-  
 loquium habuit, verum, si Burneto fi-  
 des adhibenda, Sanctitas sua hunc in  
 modum Legato respondit: „ Rei decisio  
 „ in Henrici arbitrio posita est; aut e-  
 „ nim vi potestatis jamjam demandatæ,  
 „ aut auctoritate Volsei Legati causæ  
 „ iudicium prosequi necesse est. Si Rex  
 „ salva Religione in priori connubio suo  
 „ persistere non audet, non opus fuis-  
 „ set cum tanta populi offensione publi-  
 „ cam extorquere sententiam; nullus  
 „ enim Theologorum, prosequeretur  
 „ Pontifex, melius quam ipse Rex de-  
 „ cide-



„cidere potest, utrum ejus matri-  
 „monium sit validum, vel non.

Sæcul. XVI.

A.C. 1528.

„Quamprimum igitur lata erit senten-  
 „tia, Rex Dominus noster ad secun-  
 „das nuptias transire poterit, eodem  
 „tamen tempore a nobis exorare de-  
 „bet, ut Legatum mittamus, qui hoc  
 „conjugium confirmet; longe enim fa-  
 „cilius est negotium jamjam peractum  
 „ratum habere, quam prompte deci-  
 „dere litem, quæ contra Curia nostræ  
 „leges instituta est; quippe Catharina  
 „abs dubio reclamabit adversus judi-  
 „cii locum, utpote non liberum, nec  
 „non contra Judices tanquam suspe-  
 „ctos; tum vero Ecclesiæ legibus ad-  
 „stringimur, ut Regi inhibeamus, ne  
 „secundas ineat nuptias, donec caussa  
 „penitus discussa esset, simulque com-  
 „pellimur, ut totum negotium ad no-  
 „stram Curiam evocemus. Præterea  
 „multæ occurrunt solemnitates, quas  
 „in sententiis a Curia Romana latis  
 „omnino adhibere necesse est, inde ve-  
 „ro res longius protrahetur; si vero  
 „sententia in Anglia pronunciabitur,  
 „ac Rex nulla mora aliam ducet ux-  
 „orem, non deerunt nobis rationes, qui-  
 „bus nostrum agendi modum vindica-  
 „re poterimus, si negotium jam pene  
 „absolutum confirmare voluerimus:  
 „tum vero Londinum ablegabimus  
 „*Hist. Eccles. Tom. XXXV. G g* „Car-



Sæcul. XVI., Cardinalem, quemcunque feligere  
A. C. 1528., Angliæ Regi placuerit. ,,

## §. XXXVIII.

*Quæstio, an Papa in spem obtinendæ dispensationis Henrico aliam conjugem ducere suaserit?*

**I**ta equidem Burnetus(\*) Papam loquentem introducit, verum hunc sermonem sine ullo fundamento mere confictum esse patet; quam enim ob rationem Henricus his Papæ monitis in rem suam haud utebatur, cum tamen usque adeo propensum ad ejusmodi consilia suæ causæ tantopere propitia gereret animum, ut etiam per Batoniensem Episcopum, qui ejus nomine apud Franciæ Regem Legatum agebat, interrogaret, an sine animæ suæ nocumento dubium de suo matrimonio movere posset? Referunt etiam Historicorum nonnulli, quod Rex consilium sibi a Casalio propositum in tendiculæ sibi a Papa structæ numero locoque duxerit, ac ferio

---

(\*) Supple, natione scotus, & secta Hæreticus, qui pro more suæ gentis totus in eo erat, ut propudiosum Henrici VIII. divortium honestet, totamque culpam in ipsius Papæ consensum rejiciat, cujus tamen rei falsitas ex ipsius auctoribus coævus manifeste patet.